DE MUSICES IN ORGANISMUM HUMANUM VIRTUTE DISSERTATIO...



13

DE

MUSICES IN ORGANISMUM HUMANUM VIRTUTE

Dissertatio Inauguralis

QUAM

PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA

RITE OBTINENDA

ÆNEAS LOSCHI

TARVISINUS

EDIDIT



PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

1844

PATRI MEO

DE

MUSICES IN ORGANISMUM HUMANUM VIRTUTE

Musice cum ea sit ars, quae nostrarum functionum inter se harmoniam diversimode temperare valeat, et quum non raro efficax praebeat remedium ad valetudinem revocandam; mihi haud indecorum dissertationis inauguralis thema visa est, in quo recenseatur admirabilis ejus efficacia in nostrum organismum, vel si de servanda, vel de restituenda valetudine agatur. Profecto ad cor facile excitandum, ad mentem quodam paene divino afflatu afficiendam, nil aptius musice. Revera quis suaviter non allicitur a concentu harmonico? quis voluptatem non excipit a sonitus varietate? quis non pietatem, amorem, magnanimitatem, gloriaeque cupidinem non experitur? Quid, quod etiam natura universa instrumentorum sono commoveri videtur.

Si autem musice est homini fons tam suavium motuum, et in quibusdam morbis salutare quoque remedium, cur homo tam nobilis et paene divinae artis amore non delectabitur?

Originem musices ad primam mundi aetatem referre debemus. Hebraei dicuntur, prae caeteris sentiisse quantum ad excitandas animi facultates haec ars apta sit; testantibus id sacris libris. Apricam colentes mundi plagam, et pastoralem ducentes vitam, moribus adhuc integris, et contemplationi dicati, tanto musices amore trahebantur, ut princeps cupido hujus populi musices amor dici possit. Haec, teste Montesquieu, inter animi solatia est, quae magis animo blandiri valeant. Shakespeare profitetur hominem, qui ab harmonia suavis concentus non moveatur, esse proditioni et injustitiae dispositum, animique ejus motus desides esse et tetros uti nox. Musice ad imaginationem excitandam ita aptissima est, ut si quis prima adolescentia dissimilium vocum audiat concordiam, etiam imaginationis alacritate gaudeat. Hac de caussa si igitur ars musicalis, primis coaeva parentibus, omnibusque gratissima, tam molliter animum, tam fortiter imaginationem exercet, quid etiam super organismum, quid in tuenda ejus sanitate, aut revocanda non praestabit?

Veteres musica complures ad scopos utebantur; videlicet ad compescendam ebrietatem, ad animos bello incitandos, seu ad pacem conciliandam. Aptissima praeterea putabatur ab iis ad cupidines coercendas, ad mores molliendos, ad populos, natura feros et barbaros, humanis moribus imbuendos. Polibius historicus eximius musicae tribuit discrimen

maximum, quod esset inter Arcadiae populos; nam qui eam colebant magni habebantur, et amabantur morum suavitate, et erga hospites comitate; spernentes eam e contra omnibus pertaesi ferocia et impietate merito erant.

Veteres simplici quam maxime et mellita musica motus et agitationes animi exprimi, et alio in pectore suscitari aut contineri curabant. Musicis nostrae aetatis contra haud alia aliquando est cura, nisi aures in admirationem rapiendi exquisito et peregrino sonitu. Ita musice plurimum exornata, enervata et fracta evasit. *Musicem, Platonis sententia, Dii hominibus impertiti sunt, non ut solummodo oblectentur, ac dulce titillentur, sed etiam ut animi agitationes sedari possint.* Damon quidam, tibicen eximius, ex summo furore vino inducto tranquillitati perfectae quosdam adolescentulos tibias canens redonavit.

Cum musica saepenumero ad aliquam cupidinem hominis fovendam contendat, artificium musici erit in componendis notis musicalibus, ut concentus efficiatur ad animi motus hos vel illos excitandos idoneus. Opus est igitur hisce notis, ut nobis quodammodo pingantur affectus, qui concitandi sunt. Ex quo peritus musicus qui rite utitur arte, praestigio quodam adeo suaviter cor quatit, mentemque fascinat, ut nos nobismet ipse eripere valeat.

Non homo animalium unus, qui musicis volupta-

tibus perfundatur et gaudeat; sunt enim et alia animalia, quorum aures concentibus mirifice oblectantur. Avium quamplurimas non solum intentas praestare auriculas sonitus harmoniae, sed etiam discere et imitari adeo notum est, ut nemo hoc admiretur. Non omnium animalium species vero ab iisdem soni qualitatibus permulcentur: ast singulae diversimode. Venatores dicuntur cervos allicere, et luporum ferocitatem sedare tibia; fistulis vero ursos coercere: sic hominis cantu elephas mansuescit, et pulsatione cymbali, aut tinnientis aeris apes fugientes retinentur. Quaedam animantium autem saltibus et choreis voluptatem, qua gaudent, nobis manifestant.

Pater Scotti testatur se ipsum vidisse delphinorum agmen ad superficiem aequoris concentu harmonico illico invitari, qui circum navem natantes, in qua musici vehebantur, insequebantur eam donec finis imponeretur sonitui. Arabi putant magis suavitatem cantici pastoralis quam pascua conferre ad pecudes saginandas. Si tibiis canitur improbum sustinet iter camaelus, quamvis fessus onerisque labore fractus; animis viribusque solutus non amplius iter prosequi valet, si vero sonitus cesset. Non alio modo quam melodia alliciendo in Africa domantur equi; quibus classicum si canas, ita concitantur ad praelium, ut mori libentius, quam se in fugam convertere malint. Cum vero auditus organum naturaliter apta constructione non sit praeditum, sonituum sen-

satio ingrata dolorosaque evadit. Fertur canem, quum graves alicujus instrumenti sonos audiret, intoleranda anxietate perculsum fuisse, et diutius illis durantibus, inter violentas convulsiones periisse. Profecto naturales quaedam exstant idiosyncrasiae, vel repugnantiae in brutis et hominibus quoad quosdam sonitus. Leo revera qui compescitur sonitu tympani, terretur galli cantu; si contra tympanum pulsetur, tigrides se invicem laniant furore correptae. Ita quidam scepticus philosophus tremebat audiens quemcumque concentum, et quam maxime oblectabatur tonitru et tempestatis fragore. Qui vero isthoc fiat diversum pro diversis hominibus, explanari per conjecturam mihi posse videtur, vel ob variam saepe fabricam ipsius organi audientis anatomicam pro variis individuis, unde etiam innumerae idiosyncrasiae; vel ob habitudines ipsorum hominum peculiares; vel, juxta Bichatii sententiam, quia per causas morbificas, notas aut inconspicuas, tollitur illa relatio harmonica inter dextrum organon auditus et laevum, quae necessaria est ut soni grati evadant: unde claudicante illa functionis harmonia, concentus saepenumero, qui nunc idem individuum oblectant, mox offendunt, absque sensibili structurae organicae mutatione et discrimine.

Nunc liceat mihi quasdam organi auditus cum aliis organis sympathicam relationem et catenam paucis verbis attingere.

Tympani membrana, summa praedita sensibilitate, mirum in modum cum aliquibus nostri corporis partibus consensum fovet. Avicenna refert tussim excitari statim ac haec membrana pungitur. Si morbo quamvis levi prehendatur, vertigines, accessus epileptici, dolores ad renes, dementia etiam aliquando subsequuntur.

Quin etiam maximam cum stomacho relationem habet auditus. Refert Hyldanus juvenem expergefactum fragore tormenti bellici tantum exstupuisse, ut atrocissimo cum dolore alimenta vomeret. Tissotius de quodam juvene narrat vomitu pertinaci correpto, cujus causa erat sonitus. Quum in auribus formantur abscessus, nausea saepe et vomitus oriuntur. Improvisus pilae ignitae rumor stomachum perturbare valet. Quum autem prospera valetudine gaudent aures, harmoniae qua suaviter titillantur, aliquando ad organa digerentia grata sensatio manat; hac de caussa musice tonica veluti actione pollet super hoc viscus. Voltaire dixit ad musicos in theatra audiendos multos pergere ut bene digerere possint. Non meliori itaque uti possunt consilio homines litteris eruditi, ut facile digerant, quam musices oblectamento. Quemdam ex celeberrimis nostris medicis cytharam pulsare, donec ciborum coctio stomachalis impleatur, fama est. Videtur itaque auditus organon cum thoracis visceribus, cumque apparatu universo reproductionis organicae procul dubio consentire.

Cum actum sit de hac varia cum quibusdam organis sympathia, agemus nunc de sonitus natura, deque ejus actione in nostrum organismum.

In soni gravis, vel acuti, exilis, vel perstrepentis natura est immediata hujusce artis sublimis origo, quae nobis voluptates melodiae impertitur, et medicinae adjumenta, usque dum neglecta heu nimis! praebet.

Quicumque soni naturam indagat aliquam inter illum et lucem similitudinem haud difficulter dignoscet. Etenim sonus proinde ac lux per aerem diffunditur; agit uterque dynamico modo in sublimiora sensuum organa; et quemadmodum radii lucis septem praecipuis staminibus constant, ita quoque sonus a septem fit praecipue tonis insimul junctis. Eadem comparatio viget si lucis et soni effectus in pictura et musica consideremus. Idem enim illis convenit scopus, et dum una coloribus, altera tonis animum excitat et solatur. Ob hanc nimirum convenientiam artium ingenuarum Cicero dixit: *has simul junctas sibi vicissim succurrere.*

Non solum aer, sed etiam aqua sonitus propagare valet. Remiges enim inter se colloquuntur, quamvis multum distent. Reflexioni autem radii sonori ab aere ad aquam transmissi tribuitur musicalis concentus super hoc fluidum adaucta oblectatio. Sic nil suavior, quam concentus editus super aequora placida silentio noctis stellata. Testes hujus

illae divitum societates vernales, quae zephyris vesperi vix exorientibus, super cymbam flosculis et redolentibus herbis ornatam, lacus prope ripas, plurimo instrumentorum musicali apparatu, grata solatia carpunt.

Et quoniam nunc de sonorum natura et indole disseritur, nihil aptius dicimus ad exprimendos animi affectus ipsa voce humana. Nostrae enim vocis modulatione morbis aliquibus mederi, et nonnullos praeverti posse putatur. Celsus autumat in stomachi debilitate declamationem prodesse. Varia quin etiam hominum ingenia a vocis qualitate discerni posse aliqui dixerunt. Hippocrates e solis vocis mutationibus crises faustas alicujus morbi, vel mortem quandoque praedixit.

Quaevis animi cupido sua vocis mutatione exprimitur: sub timore demissa est; sub admiratione protracta; trunca fit in subito quovis animi motu; fortior in gaudio. Mirabilem etiam consensum advertimus inter organon vocis et genitalia. Exinde sub pubertate vox immutatur in puero et adolescente; subtilior est in spadonibus; mollitus est cantus avium ea anni parte, qua amorum cupiditate conflagrant. Medicis observationibus constat, homines nimis lascivos angina frequentius corripi. Ægrotus olim aphonia laboravit ob syphiliticum in testiculis infarctum; vox autem redibat, infarctu decedente.

Suavis in statu perfectae valetudinis nobis est

musices impressio, eo etiam quia faciles secretiones reddit, et ephidrosim excitat. Hilaritas et facilitas motuum, lenis faciei rubor, dulcis per totum corpus caloris diffusio satis isthoc testantur.

Omnis functio organismi suum praebet rhythmum, suam temporis mensuram, siculi musica. Functiones revera cordis atque pulmonum duobus temporibus absolvuntur, ut notum est. Potest igitur humanum corpus musicale instrumentum considerari, quod suos praebet tonos, suosque concentus. Haec similitudo antiquorum mentes non effugiebat, quoniam in eorum allegoriis musices Numen idem erat cum Numine medicinae.

Ægrotus, in quo functionis rhythmus fractus est, ideam imperfecti aut dissoni musices instrumenti prae se fert. Complures morbi variis harmoniae concentibus leniuntur. Hypochondriasis maximum praebet exemplum; et forsan hypochondriasi laborabat Saul, cum sub dulci Davidicae lirae concentu et vires recipiebat et amissam animi tranquillitatem.

In nerveum systema sonus quam maxime suos exerit effectus, ut supra notavimus. Sed ab ejus actione etiam sanguis majori saepe celeritate in circulum agitur, et febrili quasi aestu corripitur.

Sed non fluida solum, verum et solidas corporis fibras concutere et perturbare valet musice. Ubi igitur fracta fuerit solidorum vis, et tardior humorum cursus, bene musice conducit. Facilis inde elucet

explanatio, quemadmodum egregium praebeat effectum in affectionibus humoralibus gastricis putridisque, siquidem copiosas admodum secretiones et excretiones promoveat.

Dum fluidum nerveum, quod inter imponderabilia aliqua cum probabilitate est recensendum, in proprio cursu et distributione super catenam nervorum, ob repagulum aliquod impeditur, ut juxta normam hinc inde a peripheria ad centrum, atque a centro ad periphericam superficiem aequabiliter excurrere nequeat; profecto jam sensibilitas in nonnullis organicis partibus, jamque mentis ipsius functiones perturbantur: sicuti in maniacis saepe, in hystericis, et in illis aegrotantibus, quibus veneni alicujus causa subest. Musice igitur, motus organicos ubique ciens, non raro in hujusmodi adfectionibus id praestat, ut obstacula vincat, et proinde aequilibrium imponderabilium distributioni restituat; unde emolumentum exoriatur aegrotis, qui musicae praestigiis solent esse sensibiles. Hac theoria videtur quantum bene haec ars conducere debeat in affectionibus a morsu vipereo et scorpionis; quibus in aegritudinibus Teofrastus sonitu lirae utebatur. Teste Nearco, qui Alexandrum sequebatur in bellicis facinoribus, Indi nihil aliud quam sono utebantur in serpentinis morsibus. Dessault narrat, Bordeaux praecepisse hominibus canum rabidorum morsu correptis, ut publico adstarent concentui, ex quo certum dixere

omnes se tulisse solamen. Docet Baglivius adolescentulum et senem a scorpionis morsu deprehensos, lenimen sibi comparasse ex choreae tripudio, dulcemque musicem audientes.

In mentis alienatione quam maxime salutares musica praebet effectus. Quidam celeber medicus testatur, artis hujus ope matronam sanasse, quam amatoris inconstantia dementem effecerat. Idem effectus comparatus fuit in musico quodam viro furore perculso. In altero statim devicta urens febris est, febris a violentis convulsionibus comitata.

Ad maniacos sanandos varia debet esse harmonia, juxta delirii naturam. Ita in delirio laeto opus erit concentu flebili et tristi; dum hilares vividique debent esse in delirio tetro, ubi natura stimuli eget perjucundi. Xenocrates, sicuti alii complures, carmina canere imperabat maniacis; et Asclepiades inquit nil aptius esse cantu ad deliros sanandos.

Nullus adest forsitan morbus, in quo minus valeant subsidia pharmaceutica, et magis praestet solatii ars musicalis, quam in melancholia. Ægroti summopere ipsa delectantur; eapropter videmus populos temperamento melancholico propter caeli naturam detentos, quammaxime colere cantum. Soni graves in hoc morbo, qui substratum in abdomine agnoscunt, magis quam acuti bene conducunt; nam impressiones ferunt isti ad abdominalia viscera. Quemdam Persiae regem sanatum fuisse a melancholia

teterrima, jam jam mortem minante, ope concentus, narrat Framery.

Musice juvat aeque summopere in aegrotis mortis timore percussis, delectando distrahendoque animum. In nonnullis epidemiis videntur saepe saepius multi morte perempti ob timorem magis quam morbi saevitiem; quod fors non accideret si concentus harmonicus animos delectaret. Nemo ignorat quantum animi status ad contrahenda contagia conferat. Si musice igitur ad concitandos animos quammaxime valet, clare elucet ejus efficacia in illis praecavendis.

Musica collaudata etiam fuit in ea veneris impotentia quae timorem pro causa agnoscit. Nil revera aptius ad animos amore inflammandos, divina hac arte. Nerveum enim fluidum altius in cerebro in ludum compulsum, ad omnes corporis se dirigit nervos, ubicumque ferens sensum et motum. Deficit illud in nervis sensibilitate destitutis; et in illis contrario modo abundat, qui vividas sustinent impressiones. Quoties igitur improbo modo in aliqua evolvitur parte, plusquam par est, copiosum, ob universalem illam a sono succussionem nervorum facile ab illo superiori centro, inferiora versus per nervorum catenam proserpens, victis repagulis, supra nervos derelictos tandem appellit, eosque fovet et animat, participans sensibilitatem et motum, et redit ita ad aequabilem distributionem. Multa porro hoc comprobant. Visae reapse fuere odontalgiae fu-

gari et singultus silere acri deprehensione. Sed similis non est musices agendi modus? Quidam Autrivai, quodam ulcere ad crus laborans dire eum angente, a quo nullo remedio liberari poterat, musicali forte concentu suaviter obdormiebat. Intolerandos dolores, jam jam ad tumulum eum perducturos cum lenire conaretur, funebre sacrificium prope cubile celebrari jussit; ast inter funebres concentus non dolorosa morte periit. Quidam ad extremum damnatus supplicium rotae, sic dictum, inter tormenta atrocissima jam versabatur; nullis tamen sacerdotum cohortationibus effici potuit, ne in blasphemias infandas irrumperet. Ast ecce quibusdam musicis casu illuc transeuntibus, populi deprecatio facta est, ut paullulum sisterent gressus, ad poenas extremas miseri saltem concentibus sublevandas. Revera, notas vix primum musicales audivit, paullisper concesso dolore, tum ipsemet precibus sacerdotes quaerere, crimina dolens, et religionis osculum summo cum desiderio exorare. Quo facto, ingemens periit.

Haec pauca in promptu erant, quae dicerem de origine et natura artis musicalis, deque influxu in organismum humanum, pluraque animantia, tam in statu physiologico, tam pathologico, sive relate ad sphaeram somaticam seu psychicam considerata. Interim doleo, quia vel ingenii propter tenuitatem, vel temporis ob exiguitatem, dissertatiunculam hanc,

quatulecumque sit, excuderim de arte tam nobili ac paene divina, cui par erat eloquentiae floscula offerre, et cui primam aetatem atque adolescentiam meam suavi captus amore naviter consecravi. Id vero ausus non forem, fateor lectores, nisi cum vestra humanitas erga adolescentulum nuper medicinae lauream consequutum, tum antistitum jussus mihi semper verendus veniae nonnullae certiorem me reddidissent. Quot enim dicta fuerint de te, caelestis ars, quae minus apta aestimabuntur? quot non fuissent e contra dicenda, quae inter exiguos diatribes limites minime sum complexus? Sat esto, precor, in meam excusationem, o ars divorum! noscere ab alto tuam originem, eo, ubi stellarum sphaerae, perenni obedientes circulo, atque inter se se variis reluctantes legibus aeternum creant concentum, cujus ars nostra non est nisi imago paupercula. Tu planetarum omnium, tu caelorum, ut ajebat Cicero, vita et ludus; tu nodus omnium rerum apud terrigenas quoque caelestem particulam mittis, ut sylvae cantu volucrum resonent, atque humani generis calamitates aliqua saltem dulcedine mitescant.

THESES DEFENDENDAE

1. Prae ceteris potentiis, psychice infirmitates aegrae humanitatis levantibus, musice principem locum tenet.

2. Epistaxis a naribus posticis cum haemoptoe non est confundenda.

3. Juxta opiniones fere omnium medicorum, tartarus emeticus in cura delirii trementis potatorum validissimum remedium evadit.

4. Amor moralis ad melancholiam, amor physicus ad maniam disponit.

5. Hydrophobia in canibus utplurimum ab impedita copula oritur.

6. Continua medicamentorum variatio vacillantem vel potius ignarum medicum designat.

7. Mollitie cum humana societate increscente, medicinae necessitas aeque adaugetur.

8. Sterilitas cum impotentia haud confundenda.

,145

Nel Giugno del 1844.